



XVI
F-20

B V L L A
S. D. N. D. P I I
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE V. PRO VNIONE ORDINIS
ET CONGREGATIONIS FRATRVM
Seruorum Beate Mariæ.



1570

R O M Æ

Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Cameralcs.
Anno. M. D. LXX.

R. 93983



P I V S E P I S C O P V S S E R V V S
S E R V O R V M D E I , A D P E R P E -
tuam rei memoriam .



RO nostri muneris officio & charitate paterna, qua omnes religiosorum ordines prosequimur, quæcunque ad illorum statum, salutaremque tranquillitatē pertinere arbitramur, ea prouidere, & adiuuante Dominō rectè cōstituere conamur. Inter eos autem, Ordinem beatæ Mariæ Seruorum animaduertimus, cuius professores, ex quo ipse primum institutus est, per cōplures annos eisdem legibus & institutis omnes uiuentes, una tantum familia contenti, ab uno quoque Priore Generali regebantur. Postea uero ijs (ut in rebus humanis euenire solet) paulatim ab instituto regularis obseruantia defluentibus, quidam ex his cupientes primi instituti disciplinam colere, arctioremq; uitam ducere, se à reliquis eiusdem Ordinis segregarunt, & Sedis Apostolicæ indulto suffulti, creato sibi Vicario generali, cui subeſſent, nouam familiam constituerunt, eamq; congregationem beatæ Mariæ Seruorum nominauerunt. Sed (pròh dolor) successu temporis hæc ipsa congregatio usque adeò à regulari obseruantia prolapsa est, ut ab illis ipsis, qui Ordinis Seruorum primi instituti nomen retinuerunt, parum uel nihil differre uideantur. Quamobrem ut omnes & singuli tam Ordinis quam Congregationis professores ad regularem obseruantiam reuocentur, & quasi renouentur, cōmodiusq; insuper gubernentur, utq; qui unum Religionis induunt habitum, hi sub una eademq; regula, uniusq; professionis uoto uiuentes, in obseruantiam canonicæ Religionis uniformes reperiantur, Nosq; ab uno tantum Generali superiore, non autem à duobus, de morum reformatione, rationem facilius exigere ualeamus: quæ omnia commodius fieri posse arbitrati sumus, si eos ab inicem disiunctos, in unū idēq; corpus coniungentes, in unam eandemq; familiam, sub eadem disciplina, regularique obseruantia, & uno duntaxat capite uiuentem redigeremus. Quare de Apostolicæ potestatis plenitudine prædictum Congregationis nomen, & Vicariatus officium suppressimus, extinguimus, & penitus abolemus, ac modernum Vicarium generalem ab eius officio absoluimus, omnesque & singulas dictę congregationis domos, conuentus & fratres uni Priori Generali Ordinis, ueluti supremo ipsius Religio-



Religionis, & Ordinis capiti , supremamque in eodem Ordine potestatem & auctoritatem habenti, pro ut regularia ipsius Ordinis instituta sibi concedunt, perpetuo subesse, & ei in omnibus parere uolumus & mandamus , ac etiam Prioribus cuiuslibet prouinciae, in qua ipsae domus & conuentus consistunt , subiicimus, & subiecta esse decernimus, prout aliæ domus & conuentus dicti Ordinis, siue Religionis subiiciuntur : ita ut una deinceps uniusmodi obedientia , obseruantia , & disciplina regularis , unum nomen Ordinis beatæ Mariæ Seruorum omnibus commune sit, omnes uni Generali & Prouincialibus pareant , omnes , ad quos id pertinet , simul ad Capitula generalia & provincialia conueniant, uocemque actiuam & passiuam habent in eisdem. Proinde reuocamus & deinceps inualida censemus omnia , & quæcunque statuta , consuetudines, conuentiones , concordias, & alia pacta etiam iuramento, confirmatione Apostolica , & quauis alia firmitate munita , necnon omnia , & quæcunque priuilegia, exemptiones , dispensationes , & indulta congregationis huiusmodi , etiam pro bono pacis, & conseruatione Religionis edita & concessa , ac etiam Motu proprio , & ex certa scientia , deque Apostolicæ potestatis plenitudine confirmata, multiplicatisque uicibus innovata, extensa & moderata , quatenus præsentium effectum & executionem differre possent , uel quomodolibet impedire , Quorum omnium tenores, & que atque ad uerbum infererentur præsentibus, haberi uolumus pro expressis . Decernentes prædicta omnia firma & inuiolata fore , necnon irritum & inane, quicquid secus per quæcunque, quauis auctoritate, scienter uel ignoranter contigerit attenari. Quocirca Priori Generali, ac uniuersis & singulis dictæ congregationis , cæterisque fratribus prædicti Ordinis beatæ Mariæ Seruorum per Apostolica scripta mandamus , ut præsentes literas humiliter recipiant, & quæcunque in ipsis continentur , alia desuper à uobis non expectata iussione , mentisue nostræ declaratione , firmiter custodian , & in omnibus studiosè obedire procurent . Quin etiam ipsi Priori Generali præcipimus , ut easdem præsentes , ac quicquid pro earum executione statuetur & decernetur, in omnibus domibus & locis uirorum & mulierum , nec non ab omnibus fratribus , & sororibus inuiolatè faciat per se, uel alium, seu alias obseruari. Quosquæcunque contradictores & rebelles ac etiam protestantes, & reclamantes , eisque auxilium , consilium , & fauorem publicè, uel occultè, directè , uel indirectè , quoquis quæsito colore, uel ingenio, præstantes, tam ecclesiasticos quam laicos , cuiuscunque dignitatis, gradus , ordinis, & conditionis fuerint , per censuras & pœnas ecclesiasticas, cæteraque



teraque iuris, & facti remedia opportuna appellatione postposita, cō
pescendo, censurasque & pœnas ipsas etiam iteratis uicibus aggra-
uando, inuocato etiā ad hoc auxilio brachii secularis. Non obstan-
tibus piæ memo. Bonifacii Papæ Octauij prædecessoris nostri, de una,
& in Concilio generali ædita de duabus dietis, aliisque Apostolicis
constitutionibus, quodque aliquibus cōmuniter uel diuisim ab Apo-
stolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, uel excōmuni-
cari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & ex-
pressam, ac de uerbo ad uerbum de Indulto huiusmodi mentionem,
cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsen-
tium exempla, etiam impressa, dicti Prioris, uel Prælati Ecclesiastici,
eiusue curiæ sigillo, & notarii publici manu obsignata, eandem illam
prorsus fidem ubique locorū in iudicio, & extra illud faciant, quām
ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ uel ostense. Nulli ergo om-
nino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinc-
tions, abolitionis, absolutionis, uoluntatis, mandati, subiectionis,
decreti, reuocationis, & præcepti infringere, uel ei ausu temerario
contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationē
omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se
nouerit incursum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, an-
no Incarnationis Dominicæ. M. D. L X X.
Tertio Nonas Maii. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cæsar Glorierius.

H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secret.

Publicata iussu Sanctissimi D. N. per Reuerendiss. Dominum
Odoardū Episcopum Cæsenatēsem, in Capitulo Generali, in Mo-
nasterio Cæsennæ, Die Tertiadecima mensis Maii celebrato. &
executio ni mandata per Reuerendiss. Patrem Generalem Fratrē
Stephanum Bonuccium de Aretio sacræ Theologiæ professorem.

